

altero est generalius: at in quæstionibus aliarum disciplinarum argumenta artificialia pro naturæ suæ claritate præponit inartificialibus.

Methodus analytica est, quâ aliquid ab alio compositum resolvimus; primùm indicando scopum authoris; secundo loco partes, videlicet, thema & argumenta.

Hic observa, authores quosdam per scopum intelligere ipsum thema, seu quæstionem. Sed minùs accuratè. Sed de his in Logices parte speciali copiosius docebitur.

Cap. 7. Methodus imperfecta.

Methodus imperfecta jam sequitur ultimo loco, quæ ab artis Logicæ normâ recedit, ac pro prudentiâ & arbitrio docentis accommodatur captui discipulorum.

Estque vel minùs, vel magis imperfecta.

Minùs imperfecta est, quæ sic accommodatur discipulorum captui, ut nullam interim admittat crypsin.

Ejus canon est:

Summa lex prudentia esto, quæ se rebus sic accommodat, ut tamen fugiat nimiam accuratorem.

Suprà percensuimus leges methodi accuratæ: sed omnibus istis præest alia, quam modò diximus. De me hanc, & illæ suprà expositæ tollent libertatem methodicam, quam vocant. Qualem verò, inquit aliquis, tu hîc legem fingis? Non fingo, inquam ego, legem istam, sed è naturâ elicio. Principium naturæ est: τὸ λίαν ἀκριβὲς λυπεῖ, item τὸ λίαν ἀκριβὲς ψαύδῃς. Hoc ipso monemur nostræ imperfectio- nis. Itaque quoties in methodo alicujus rei enucleatè tradendâ versamur, hæc lex nobis succurrere debet, ut sapien- tiam prudentiâ temperemus; & ita statuamus, nos non posse ordinem satis accuratum invenire. Hæc lex, ais, est Ethica.

Quid